

## Cervus &amp; Boves.

**E**xagitatus à canibus ad boves confugit cervus, orans  
ut se tegere velint, & apud se delitescere patientur.  
Non repudiant preces illius boves, sed monent, ut de tu-  
tioribus latebris sibi prospicere velit, aijuntq; vereri se, ne  
in stabulo deprehendatur. Omne se periculum subiturum  
affirmantem recipiunt, & fœno atq; stramine obruunt.  
Advenit paulò post villicus & negligenter ad boves respicit  
atq; abit. Lætus cervus, se omne discrimin evitasse sperat,  
sed cognoscit à bobus, mox assuturum ipsum villæ & agro-  
rum dominum, cuius diligentiam & inspectionem si eva-  
serit, tūm sibi certò salutem posse polliceri. Venit igitur  
paterfamilias, & ob male curatos boves indignatur, &  
quo quidque conditum ac repositum loco sit cognoscit &  
aspicit, ad pleraque etiam manus ipse admovet. Inter  
hanc curam & attentionem apparent cornua cervi, & ipse  
latens intra stramenta, à gaudiente patrefamilias ceditur.

Fabula docet, qui ad alienos confugiant, si ser-  
ventur, singulari hoc fortunæ beneficio fieri, ita-  
que malum haud ferè evadere. Docet etiam, di-  
ligentem curam & considerationem rerum sua-  
rum unicuiq; esse fructuosam, & nisi aspectu heri  
domus illustretur, omnia esse in caligine & tene-  
bris, secundùm hanc Æschyli sententiam: Est do-  
mus oculus, affidua heri in domo præsentia. Et  
præclarè Plinius hoc scripsit: Ita est profectò;  
operà, non impensa, cultura constat. Et ideo ma-  
jores, fertilissimum in agro oculum domini esse  
dixerunt: eademq; sententia ex Aristotele citatur.

Leo